DE SAXIFRAGA MAIORE.

CAP. CCLXXXV.

NOMINA.

ANueteribus Græcis & Latinis herba hæc cognita fuerit, nondum mihi constare ingenuè fateor. Vulgus herbariorū & officinę Saxifragã maiorem, & albam, quod scilicet mirificam in cõminuendis frangendisq; calculis uim, ac flores albos habeat, hodie uocant. Germani hohen Steinbrech/uel weissen Steinbrech appellant.

FORMA.

Caulem habet lanuginosum, subrubicundũ, folia exigua, rotunda, in extremitatibus incisa, flores candidos, radicem exilem, cui granula Coriandri seminis quantitatem referentia adhærent, partim alba, partim rubea, quibus officinæ pro semine eius utuntur.

LOCVS.

In pratis & montibus, potissimum siccis, prouenit.

TEMPVS.

Maio mense floret, dein statim euanescit.

TEMPERAMENTVM.

Quum flores, folia & radix gustanti amara sint, calidam & siccam in ordine tertio esse uerisimile existit.

VIRES.

Vrinã mouet, calculos frangit & conterit. Stranguriæ itaque confert: abstergit enim expurgatq;, & quæ in uenis est crassitiem, sicut omnia alia quæ amara sunt, incîdit. Menses quoque cit, crassaq; ac glutinosa ex thorace educit.

D

DE SAXIFRAGA LVTEA.

CAP. CCLXXXVI.

NOMINA.

Saxifraga cur dicta.

NOMEN hoc in præsentia fingere adlubuit, cum scilicet aliud quo herbam hanc appellaremus non occurreret, ut hac ratione à priori discerni posset. Saxifragã autem uocare placuit, quod nimirũ calculos frangat. Ad quod sanè nomẽ alludentes Germani Steinklee nominant, quod idem ualet, ac si Trifolium frangens lapidem dicerent. Alio nomine gulden oder geelen klee/&, quod sententiam nostram confirmat, Steinbrechen/à cõminuendo lapide appellant. Luteã uerò diximus à luteis floribus, uolentes eam ab alba discriminare Saxifraga. Cõmodissimè itaq; germanicè geeler Steinbrech uocabitur. Perperàm ea officinæ nõnullæ pro Meliloto usurpant, ut suo etiam loco indicauimus.

Officinarum error.

FORMA.

Caulem cubiti ferè altitudine obtinet, folia fœnogræco similia, in quouis pediculo tria: floribus pisi, multò tamen minoribus, luteis, odoratis, deorsum nutantibus, semine per ramulos diffuso rotundo, radice subcandida.

LOCVS.

Passim in aruis & segetibus prouenit.

TEMPVS.

Floret tota æstate, potissimũ autem Iulio mense, in quo semen etiam producit.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse gustus abundè docet: amara enim & subacris existit.

VIRES.

Abstergit, expurgat, & quę in uenis est crassitiẽ incîdit, atqueadeo obstructiones

iecinoris

SAXIFRAGA
LVTEA.